



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,  
Explanatio Catechismi Catholici**

**Macherentinus, Johannes**

**Colon., 1612**

Commendatio ad D. virginem Mariam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39397**

*Rem quempiam aggrediens sic ora.*

**C**Oncede mihi gratiam tuam Domine  
Pater cœlestis facere in gloriam ac lau-  
dem in nomine Domini nostri Iesu Christi  
auspicandi atque perficiendi.

*Cum hora sonat.*

**M**aria mater gratiæ, mater misericor-  
dix, tu nos ab hoste protege, in hora  
mortis suscipe.

### L V I.

#### COMMENDATIO AD D. VIR- GINEM.

**O**p̄ijssima castissimaq; virgo Maria, se-  
cundum Deum, spes mea vnicumq;  
præsidium atq; solatum: qua te fide & cha-  
ritate charissimus tuus filius dilecto discipu-  
lo Ioanni commendauit, eadem & ego ho-  
die, & semper corpus meum, & animam me-  
am, honorem meum, meaq; omnia tibi co-  
mendo: tum verò maximè, quando anima  
mea, ex hoc corporis ergastulo migrabit:  
precorque, vt custodias immunem à pecca-  
tis, offendiculis, ignominia, ira tremendi iu-  
dicij, cogitationibus dishonestis, ab omni  
mortifero delicto, à morte repentina, omni  
denique periculo corporis, & animæ item-  
que fame, ac bonorum. Ne sinas, ô domina,  
vt vlo vñquam delicto tua excidam gratia,  
vtque

vtque præterita meas celera diluam, mores-  
que corrigam, neue amplius relabar, obse-  
crò, filium exora: quin & impetra mihi vi-  
uo, atque adeò morienti, præsens auxilium  
contra omnes aduersitates: mihiq; apud fili-  
um dilectissimum Dominum meum IESVM  
CHRISTVM patrona sis, & aduocata fidissi-  
ma, quo in extremo illo iudicij die iustorum  
obtineam locum, Amen.

## L V I I.

QVANDO PVBLICVM DEI PA-  
ram virginem salutandi signum auditur,  
vt te geris?

VEspertino quidem tempore, in Eccle-  
siastici diei exordio nimirum, memor,  
vt ad mundi vesperam, ac temporum pleni-  
tudinem, filius Dei homo sit factus, vt ho-  
minem perditum, suæ diuinitatis faceret  
consortem, flexis genibus, aut saltem nuda-  
to capite, pro more fideliū quibuscum ver-  
sor, pro tanto beneficio, quam possum de  
notissimè, gratias ago: petoque patrem mi-  
sericordiarum, vt per hoc incarnationis vni-  
geniti filij sui mysterium, ac B. M A R I A E in-  
tercessionem, mentis meæ tenebras dispelle-  
re, meque ne vnquam obdormiam in morte  
sua gratia illustrare dignetur. Porrò si quid  
boni eius gratia iuuante illo die à me actum  
sit, sibi oblatum & acceptum esse velit, in  
hunc modum.

Rr 4      1. An-